



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Ad quid teneatur, qui stupravit virginem, suspe ac promissione
matrimonij?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nulla possit esse damni reparandi obligatio, neque volenti fiat injuria, quæ reparanda sit; & quamvis parens, sub cuius potestate constituta est filia, dotem augere debeat, ut æquè bonas nuptias obtineat, ac si deflorata non fuisset, si tamen volens illa fuit ad sui deflorationem, nihil patri restituere debet stuprator, cum damni causa non sit stuprator, sed filia liberè consentiens in sui deflorationem, penes quam etiam libertas est bene vel malè nubendi.

§. IV.

Ad quid teneatur, qui stupravit virginem, sub spe ac promissione Matrimonij?

SI serio animo promittit matrimonium, & illa hac promissione inducitur in copulam consentit, tenetur promittens eam ducere (quia reciprocus & onerosus est contractus talis, ita ut alter etiam obligetur ad fidem servandam, nisi de novo intervenit dirimens impedimentum aliquod, quod contrahere matrimonium tale non permitteret) etiam si promittens voto simplici castitatis, aut religionis obstrictus sit, cum votum non obliget in præjudicium juris, quod femina corrupta sub promissione matrimonij acquisivit; neque Deo placeat voti facti observatio, quod sine gravi alterius injuria servari non potest: quin etiam, si factè promittendo matrimonium, consensum in stuprum obtinuit, tenetur eam ducere, si ipsa velit; nec satisfaciet suæ obligationi pecuniam dando, pro damno per stuprum illato, quia ex contractu oneroso ex una parte im-

pleto, ad matrimonium determinatè obligatur per æquivalens non implendo, nisi ipsa violata consentiat, aut notabilis excessus sit promittentis, supra conditionem fœminæ, præsertim si de eo excessu ipsi etiam violatæ constitit, aut ex verbis ambiguis promittentis, vel ex alijs circumstantijs, fallacem animum facile colligere potuit; aut promittens etiam à violata, quæ fingebat se virginem, deceptus fuisset; aut alia notabilis mutatio interveniret, vel scandalum, vel malus etiam exitus ex tali matrimonio timeri posset.

§. V.

An stuprum sit crimen mixti fori & quomodo probandum?

CONTRA Clericum stupratorem cognoscit Iudex Ecclesiasticus, contra Laicum stupratorem Iudex secularis; & quamvis sit crimen mixti fori, ita ut si pœnâ Canonicâ tantùm puniendus sit stuprator, Ecclesiasticus Iudex etiam contra Laicum stupratorem procedere possit; si verò pœnâ Civiles in stupratorem à jure Civili, aut receptâ consuetudine statutz, imponendæ sunt, ad Iudicem Laicum cognitio hujus criminis pertinet: ita tamen ut violata in foro externo præsumatur fuisse Virgo, si communiter pro tali tempore stuprationis habita fuit, & stuprator, si neget eam Virginem fuisse, tempore, quo cum eam habuit, debeat hoc probare, quia præsumptio fiat pro puella in re ista, de qua meritò gloriantur puellæ, & mulierum sollicitæ sunt: quæ tamen præsumptio, si Iudicem quidem inducat ad do-

Ecc ee 2

tem